

acceptandum, quasi in Angelis prorsus nulla compositio reperiatur, sed dicuntur illi propterea simplices, quia non sunt compositi ex materiâ & formâ, nec ex partibus integranibus. Nam aliàs datur in ipsis (1) *compositio ex subiecto & accidente*; quando quidem iustitia, scientia, actus, ubi & id genus alia, quæ iis insunt, accidentia sunt & realem in ipsis compositionem important. (2) *Ex essentiâ & subsistentiâ*, quæ duo in creaturis realiter differunt, & ita ex illis duobus, ut communiter sentiunt, oritur compositum compositione reali. Alias compositiones silentiô involvimus.

§. 17. Quando itaque Angelis dicitur convenire Simplicitas, tunc illa non est absolutè talis, sed tantum secundum quid, & respectu certi generis compositionis, quia in illis, ut dictum, non datur compositio ex materiâ & forma. Huic tamen adserto multi dicam scribere non verentur, Angelis attribuentes minuta & valdè tenuia corpora, quique licet Angelos quandoque dicunt incorporeos, non tamen absolutè, sed *συγκριτικῶς* & in comparatione ad nostra corpora crassa & solida intellectum volunt. Ita sèssisse dicuntur Patres nonnulli, Tertullianus, Bernhardus, Augustinus, Athanasius, Lactantius & alii. Tribuitur ferè hæc sententia primitus *Platoni*, Philosopho cœtera præclaro, ut divinus etiam dici meruerit, quod docuerit: Angelos sua habere corpuscula, alios cœlestia, alios ætherea, alios aërea, alios aquea, alios etiam terrea. Item *Porphyrio*, quô de Gisbertus Voëtius *select. Disp. part. 1. p. 911.* refert, eundem non tantum cum aliis gentibus delirasse, Dæmones nidoribus & sanguine hostiarum delectari, sed & corpuscula eorum aërea iis pinguescere. Hinc Animalia quoque ab eô dicti sunt Angeli, Vide *Phil. Sobr. B. Meisneri part. 1. f. 4. c. 1. q. 1.* & *B. Jacob. Martin. Exerc. 3 Met. l. 2. th. 2. & 3. p. 586.* *Judaïs* etiam, qui apparitionibus Angelorum dubio